

gis nobis accessibilis est Deus, cum terrena auxilia abscedunt, & deserunt nos. Ad extremum discrimen honoris, ac vite jam pervenerat Susanna, tunc ipsa suspexit in celum: Exclamavit voce magna: Daniel. 13. n. 42. Omnis cætus Israelis stabat adversus eam, sed tunc adfuit Dei auxilium, ut liberaret. Lyran. Suscepit ad celum, quia aliunde non poterat habere auxilium & proprium est Divinitatis succurrere in casibus desperatis. Clamat David ad Dominum Psalm. 101. n. 14. Tu exurgens Domine misereberis Sion, quia tempus miserendi ejus; Postulat Propheta: ut Dominus tamquam à somno exurgat, ut misericordiam suam diffundat: quia tempus miserendi ejus: & qualem est hoc tempus expostulans Dei misericordiam, quando totus mundus veluti agmine facto consurgebat in Domini discipulos, qui erant odio omnibus hominibus, & habebantur tamquam oves inter lupos, ita ut frater fratrem traderet in mortem, & pater filium, & filii insurgerent in parentes, & ita eos persequerentur, ut quicumque interficeret eos existimaret se obsequium præstare Deo, ita ut nullum esset subterfugium, nec levamen, sed undique insurgeret oppressiones, & mala; Nunc ergo ait D. Ambrosius: Tempus miserendi; & non nubendi. Semper enim consuevit Divina misericordia, & omnipotentia occurrere, cum omnia sunt contraria, & homines ab hominibus, nullam penitus remedium expectant, ut inde totum profus divinum, & nihil humanum appareat.

QUÆSTIO III.

Quare non alius minister, sed Angelus astat annuntians pastoribus Christi natiuitatem, dicens, Gaudium magnum esse?

15. Ait noster Evangelista in præfati, num. 9. Et ecce Angelus Domini stetit iuxta illos: Scilicet pastores, & claritas Dei circumfulsit eos: Et ait Angelus eis: Evangelizo vobis gaudium magnum: Natus est vobis Salvator: De quibus omnibus latè dixi citato cap. 1. quæst. 15. 16. 17. 18. 19. Primò: Pastores cum essent in medio noctis vocantur per Angelum, & non per stellam, sicut Magi? stellæ sunt communes bonis, ac malis, fidelibus, & infidelibus? In Pastoribus autem denotabatur dilectissimus populus Christianus, & ideo peculiari signo, ac honore erant ad Christum adducendi, nempe, Angelo fulgentissimo. Ad hoc tendit D. Gregorius Magn. homil. 10. in Evangel. Judæis tamquam ratione utentibus Angelus predicare debuit, gentibus vero: quia ratione uti nesciebant, non per vocem, sed per signa producuntur: Egredius populus de Ægypto tendens in terram promissionis Exod. 13. numero 21. Dominus præcedebat nos ad ostendendam viam per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis: Ad ostendendum quod per diem lumen solis & per noctem lux Lunæ, ac Stellarum, ad quid talia lu-

minaria Solis, Lunæ, ac stellarum radii communes omnibus, populo singulariter dilectissimo, non commune, sed singulare, ac peculiare lumen tui præbendum; sub quo valde honorabiliter iter ageret. Ad hoc respicit Justinus Martyr in Dialogo cum Tryphone, Just. Martyr ubi ait: Columna fulgida prælucebat orbi, ut singulari privilegio poteris habere lumen proprium, ac perpetuum: Consideratione expende: Ut singulari privilegio poteris habere lumen proprium.

17. Secundò. D. Basilii Seleuc. Oration. 25. ait: A principio miracula cum partu conturbant, stella peregrino cursu manifestabat inopinato natum infantem. Magi relicta à tergo Babylone fasciatum perquirebant: Simeon vociferabatur: Nunc dimittis servum tuum Domine. Præter hos Joannes omnibus ostendebat clamitans: Ecce Agnus Dei: Tanti sunt testes: Ipse de se conticecit: Nato Christo Angelus cum denuntiavit: Cælum stella radiante ipsum ostendit: Magi festinantibus pastoribus ipsum ostendit: Magi odorant: Simeon Sacerdos ipsum clamat: Joannes digito demonstrat: Jesus tamen solus tacet: Tanti sunt testes: ipse de se conticecit: Hoc apertum est indicium, ac signum Christiani ortus; hæc est enim præclara virtus Jesus, ut ipse solus taceat, & mutus sit de rebus suis: Agnovit Jesus sui vestimenti tactu sanarum mulierum à sanguinis fluxu, & tunc dicebat: quis tetigit vestimenta mea? Marc. numero 3. non ait: Quis vestimenti mei tactu, sanatus est, ac ab infirmitate liberatus: sed tantum: Quis me tetigit? Ne magnitudinem sui miraculi publicare videretur; sed hoc mulieri, ac alius remittebat. D. Epiphanius in Ancorato, sic ait: Est quis tetigit, dicit, non quod non nosset, quis ipsum tetigisset, sed ut ne per se ipsum diceret miraculum, quod eadebat.

18. Tertio, ait Angelus: Evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo: Ad quæ verba sic ait D. Bonaventura: Quod erit omni populo: Et hoc ad differentiam gaudis mundanorum, quid non est universale, Joan. 16. n. 20. Mundus gaudebit, vos autem contristabimini: denuntiatur gaudium pastoribus, non tamen ipsi solis, sed etiam omni mundo. Salus, vita, & gaudium, quod à Jesu venit, non in uno coarctatur, sed in omnes redundat, in quo habet magnam differentiam à mundi gaudio, quod in paucis restringitur. Ingressus Angelus ad Mariam Virginem, ait illi: Ave gratia plena, Luc. 1. n. 28. Aliter Christus D. abeuntibus mulieribus occurrens ait illis: Ave, Matth. 28. n. 9. Angelus ut creatura uni salutem dicit, & dat: Ave; At Jesus, ut Deus, non uni, sed pluribus, ac universis: Ave, Quod notat D. Epiphanius Oration. in Sabbath. sanct. dicens: Ibi Angelus, Ave, Maria dixit: hic magni consilii Angelus Christus mulieribus clara voce, Ave, intonat. Pax, & salus quæ ab Angelo, ac una creatura venit, uni tantum datur? Pax & salus à Christo veniens, universis dicitur, ac annuntiat.

19. Quarto, ait Angelus: Evangelizo vobis gaudium magnum: & quæ major i gaudenti, quam salutiferus Dei adventus à nos? ait Isaias 62. n. 11. Dicite filia Sion, ecce Salvator tuus venit: D. Chrysolom. homil. a prædicta verba legit: Gaudet Sion ecce Rex in vestis

QUÆSTIO IV.

Quare pastoribus pro signo nati Salvatoris datur infans positus in præsepio?

A Pparet Angelus pastoribus præ cæteris aliis hominibus, ut latè explicavi citato cap. 1. q. 13. & 14. & præter rationes ibi datas, Titus Bostrensis hanc assignat; Ob id præ cæteris hoc beneficium pastoribus obigit, quia selectantur adhuc veterum consuetudinem; ut enim Patriarcha, & ipse Moyses ovibus pascentibus erant intenti. Ut inde discamus quod maximo pere venerandi sunt illi, qui primi posuerunt religionis, virtutis, ac justitiæ fundamenta, & quia isti secuti sunt vivendi modum Antiquorum Patriarcharum, ideo tanto dono, ac beneficio fruuntur.

Ait Angelus ad pastores hoc cap. n. 12. Et hoc vobis signum, invenietis infantem pannis involutum, positum in præsepio: De quo multa dixi citato cap. 1. q. 20. 21. 22. Nunc verò adde. Angelus dixit eis: invenietis infantem: Ipsi verò ad invicem infra dicunt: Videamus hoc Verbum, quod factum est, quod fecit Dominus: excitabantur ad invicem ad videndum Verbum, cum illis denuntiatur fuisse esse infantem: Quid infans cum Verbo? Multum per omnem modum, ex quo Dei ampla majestas ad infantilem minoritatem se dejecit inde à tanta charitate, humilitate, ac virtute sublimes voces, & verba prodibant, quæ tantum adimplet orbem, & ad omnium aures resonarent. D. Leo serm. 7. de Epiph. sic ait: Ipsa itaque species sacra infantia, cui Deus, Dei filius apta ad prædicationem aures inimicandam, oculisque gerebat: Nota illud elegantissimum: Ipsa itaque species sacra infantia prædicationem gerebat. Non vox; nec lingua infantis, sed species, ac præsentia, quæ tota species, ac præsentia Dei reclinat in præsepio clariorem omni voce prædicationem, ac ostentationem illius Divinitatis per se præferebat, quæ totum orbem suis radiis adimplet. Vide supra Luc. 1. q. 6. n. 19.

Secundò: Angelus ait ad Pastores: invenietis infantem: & statim subditur: Videntes autem cognoverunt de verbo, quod dictum erat illis de puero hoc: Unde pastores videntes puerum reclinatum in stabulo colligere potuerunt, ipsum esse mundi Salvatorem, & Messiam promissum, ac filium Dei: Unde in eo reucebar Divinitas: Deus infans tacet: Virgo mater tacet. nec ullum ad pastores, verbum fecisse legitur, & tamen ipsi indubitanter Deum agnoscerunt, & adorant. Pulchre D. German. de nativitate. Virg. sic loquitur. In Maria sine voce, & scriptura, ipse Inscriptus Deus, & verbum per diem legitur. Et si verbum incorporatum ex Virgine Maria natum in humili præsepio stabulet tamen ipsa Deiparæ præsentia, celestem splendorem reverberabat, & Dei matris dignitatem representabat, divinum quid affabat, quæ nullum alium gignere poterat, nisi ipsum Deum carne indutum: In Maria sine voce & scriptura, ipse Inscriptus Deus, Verbum per diem legitur. Ex quo eleganter D. Chrysol. ser. 140 ait: Quisquis sine Deo factis ignorat ille, qui hujus Virginis mentem

mit: non potest animus cohereri lætitia, quin Dei adventu maxime exulter; & gaudeat. Sic ait D. Chrysolom. citatus: Cantabamus ergo, gaude Sion, ecce Rex tuus venit. Hoc gaudium non est risus oris vocis atque buccarum, sed gaudium cordis: de quo gaudium clamabat Evangelista, dicens: Annuntio vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus est vobis hodie Salvator. Hoc autem gaudium veniens à Salvatore, gaudium est salutis non in strepitu buccarum, non in clamore vocis, nec in pedum tripudio. Tractans Jeremias de Adventu Domini ad salvandas gentes cap. 23. num. 6. ait: In diebus illis salvabitur Juda, & Israel: & habitabit confidenter: & statim adjungit Propheta: & hoc est nomen, quod vocabunt Deum, Dominus iustus noster. Quæ verba sic legit Arabicus Alexandr. hoc est nomen, quod vocabunt eum: Dominus gaudium nostrum, abscondit: & merito noster Jesus adveniens, gaudium nostrum est in abscondito cordis, non in ostentatione ac strepitu externo, sed in timore animi, ad jubilandum in Jesu & ad eum tantum beneficium intimo corde gratificandum. D. Athanasius in vita sancti Antonii proponens Divini Spiritus adventum in nos, sic ait: Sanctorum Angelorum amabiliis, & tranquillis aspectus est, quia non comedunt, neque clamant, neque audiet aliquis vocem eorum verum tacite leviterque properantes gaudium, exultationem, fiduciam peccatoribus infundunt, siquidem cum illis est Dominus, quia est fons & origo lætitiæ: Expande illud: Tacite, leviterque properantes gaudium, exultationem, fiduciam, nulla major potest esse ratio gaudendi, quam præsens, quam cum nobiscum est Deus: Qui est fons & origo lætitiæ? Quintò, ait Angelus: natus est vobis Salvator; sic & Paulus ait ad Titum, n. 4. Apparuit nobis benignitas, & humanitas Salvatoris nostri Dei: Ubi nomen Salvatoris resonat, totum est pietas, & clementia, rigoris poena, & damnationis fulminatio non auditur. D. Bernardus serm. 1. ad citata Pauli verba, sic ait: Unum est in quo conveniunt Apostolus, & Angeli in nomine Salvatoris. Bene dulce nomen, nullus ex illis tacuit, quia hoc mihi maxime necessarium fuit. Alioquin, quid agerem, audiens Dominum venientem; Numquid non fugerem sicut Adam, qui à facie ejus fugit sed non effugerit: nonne desperarem, audiens, quia venisset, cujus legem prævaricatus sum? Quo verò major consolatio, quam in dulci vocabulo; in nomine consolatorio. Jam confidenter accedo, jam supplico fiducialiter. Quid enim timeam quando Salvator venit in domum meam. Expende illa verba: Jam confidenter accedo: Excluo nempe, omni tempore, quia venit ad salutem dandam. Veniat iterum citatus proximè locus Jeremias 23. n. 6. Israel habitabit confidenter, & hoc est nomen, quod vocabunt eum, Dominus iustus noster: Symmachus legit: Domine iustifica nos: Hebraeus clarius; Dominus iustitia nostra, maxime ergo habitabit confidenter Israël, cum Deus iustificans, ac sanctificans nos, adveniat; Inde sanctissima Virgo decantabat: Exultavit spiritus meus in Deo salvatari meo: non ait creatore, vide quæ supra dixi cap. 1. in Lucam q. 15. n. 78.

